



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VII. Goffridus Vindocinensis distinguit investituram per annulum & virgam ab ea quam laïci faciebant absque illa solennitate. Investituram tamen à Principe dandam non esse nisi post electionem & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

in hæresim definire si quis pertinaciter contendat eam fieri licite posse. Cui serip-  
tioni non omnino assentitur Ivo : qui illud  
tantum fatetur , eorum opinionem schisma-  
ti accensendam esse qui propugnant inve-  
stituras. *Eorum sententiam* ( inquit Ivo in epi-  
stola cccxxxiii. ) *qui investituræ laicorum*  
*defendere volum, schismaticam iudico.*

VII. Goffridus Abbas Vindocinensis ,  
illorum temporum scriptor , quem vir cla-  
rissimus Sirmondus editionis honore dona-  
vit , scribens ad Callistum secundum Pa-  
pam , ad quem cum sede transferant præde-  
cessorum animi , hanc investiturarum mate-  
riam tractat habita ratione illorum tempo-  
rum ; ac viam quandam aperit opportunam  
sedandæ huic controversiæ , quæ Ecclesiam  
turbaverat per quinquaginta annos , & oc-  
casionem dederat introducendi in Ecclesiam  
Pseudopontifices itémque Imperatores ex-  
communicatos. Distinguit enim investitu-  
ram quæ per anulum & virgam fiebat ab  
ea quam laici faciebant absque illa solenni-  
tate. Quoad primum investituræ genus , ait  
virgam & anulum esse velut quoddam sa-  
cramentum in Ecclesia , non secus ac salem  
& aquam , oleum & chrisma , nonnullasque  
alias res sine quibus peragi non possunt con-  
secrationes hominum aut Ecclesiarum , at-  
que adeo inaccessum aliquid tentari adver-  
sus auctoritatem Iesu Christi quoties laici  
Prælati tribuunt investituram per baculum  
& anulum , quod eos à nemine alio reci-  
pere debeant quàm à consecratore suo. Quo-  
niam tamen Ecclesia liberalitate Principum  
locupletata fuerat multis possessionibus , vi-  
deri prorsus locum non esse traducendi in-  
vestituram regiam , quæ fit propter res spi-  
rituales. Sed eam tamen cautionem adhibet ,  
ut investituram dari à Principe nolit nisi post  
electionem & consecrationem. Tum verò  
ait non referre quoniam id signo fiat. Hæc  
sunt ejus verba in opusculo ad Callistum  
Papam cap. iiii. & iv. *Investituram per vir-  
gam & anulum accipere , nisi à suo consecratore ,*  
*manifestum est esse damnosum : quia nulli laico*  
*licet illa Ecclesia sacramenta dare , sicut ei non*  
*licet Episcopum consecrare. Infrà : Alia est uti-  
que investitura quæ Episcopum perficit , alia quæ*  
*Episcopum pascit. Illa ex divino jure habetur ,*  
*ista ex jure humano. Subtrahere jus divinum ,*  
*spiritualiter Episcopus non creatur. Subtrahere jus*  
*humanum , possessiones amittit quibus ipse cor-  
poraliter sustentatur. Non enim possessiones ha-  
beret Ecclesia nisi sibi à Regibus donarentur , &*  
*ab ipsis , non quidem divinis sacramentis , sed*  
*possessionibus terrenis investirentur. Infrà : Pos-  
sunt itaque Reges sine offensione , post electio-  
nem canonicam & consecrationem , per investi-*

*turam regalem in ecclesiasticis possessionibus con-  
cessionem , auxilium , & defensionem Episcopo*  
*dare. Quod quolibet signo factum extiterit , Re-  
gi vel Pontifici seu catholica fidei non nocebit.*

Modificationem porrò Ivoni incognitam  
& vetustæ consuetudini contrariam adfert  
Goffridus , nimirum non debere Episcopum  
accipere investituram à Rege nisi post con-  
secrationem , cum tamen olim consecrari  
non posset donec approbatus & investitus  
fuisset à Rege.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

ADNOTATUM est in paragrapho quinto hujus  
capitis , privilegium quod Henricus quintus Impe-  
rator extorsit anno m c x i . à Paschale secundo Papa ,  
vocatam fuisse anno sequenti privilegium in Concilio  
Romano. Certum id quidem. Id enim prorsus ha-  
betur in editis Concilij hujusce actis. Verùm cum il-  
la sint depravatissima , præsertim in subscriptionibus ,  
ac res tanti momenti sit ut non uno loco referri de-  
beat , facturum me operæ pretium existimavi si heic  
bona fide exscriberem eadem acta ex pervetusto co-  
dice M. S. sancti Albini Andegavensis , unde à me  
descripta sunt anno m d c l x i . mense Septembri. Sunt  
enim emendatissima. Sic ergo habent.

CONCILIVM LATERANENSE

HABITVM ANNO M C X I I .

ACTIO CONCILII CONTRA  
HÆRESIM DE INVESTITURA.

ANNO ab incarnatione m c x i i . Indictione V .  
anno pontificatus Domini Papæ Paschalis se-  
cundi x i i i . mense Martio , xv . \* Idus Aprilis , ce-  
lebratum est Concilium Romæ , Lateranis , in Basilica  
Constantiniana. In qua cum Dominus Papa Paschalis  
resedisset cum Archiepiscopis & Episcopis & Cardina-  
libus & Abbatibus & varia multitudine Clericorum &  
laicorum , ultima die Concilij facta coram omnibus  
professione catholice fidei , ne quis de fide ipsius dubi-  
taret , dixit. AMPECTOR omnem divinam Scripturam ,  
scilicet veteris & novi testamenti , legem à Moïse  
scriptam , & à sanctis Prophetis. Ampector qua-  
tuor evangelia , septem canonicas epistolas , epistolas  
gloriosi Doctoris beati Pauli Apostoli , sanctos cano-  
nes Apostolorum , quatuor universalia Concilia sicut  
quatuor evangelia , Nicænum , Ephesinum , Constan-  
tinopolitanum , Chalcedonense , & Antiochenum  
Concilium , & decreta sanctorum patrum Romano-  
rum Pontificum , & præcipuè decreta Domini mei  
Papæ Gregorij septimi & beate memoriæ Papæ Vr-  
bani. Quæ ipsi laudaverunt laudo , quæ ipsi tenuerunt  
teneo , quæ confirmaverunt confirmo , quæ dam-  
naverunt damno , quæ repulerunt repello , quæ interdi-  
xerunt interdico , quæ prohibuerunt prohibeo in omni-  
bus & per omnia , & in iis semper perseverabo.

Quibus expletis , surrexit pro omnibus Girardus  
Engolismensis Episcopus , Legatus in Aquitania , &  
communi assensu Domini Papæ Paschalis totiusque

\* Lrg. Hal.

Vide supra lib. 7.  
cap. 21. §. 12.